

lafticarum gratia Univerfitates ftudiorum obiret, annoque 1516. *Viennam* quoque delatus effct, in Epiftola inde ad Epifcopum *Eichftad.* data, quae *Conjpectui Hift. Univ. Vien.* P. II. p. 88. inferta eft, vidiffe fe inter Opera a Doctoribus *Vien.* fcripta *carnofiffimos Commentarios in Librum Geneleos Henrici de Langenftain Haf-fae*, illius videlicet primi *Gymnafii Vien.* Plantatoris ab Alberto Duce a. 1379. *Parifis* evocati. Atque primas meditationes horum *Commentariorum* in hunc Codicem effufas effe ab *Henrico* Literae quaedam ad illum datae, quarum dorfis conceptus fuos adlevit, locisque fuis adfutae credibile faciunt. Agunt hae Literae de permutatione *Praebendae*, qua, quod nemo haftenus dixit, Nofter *Leodii* fruebatur. Et prima quidem ad fol. 9. eft *M. Arnoldi de Emeliffe* absque anno fcripta *ipfo die Johannis Ewangelifte*, cujus partem

Codicis compages celat; duae vero ad fol. 12. infertae funt: una fubfignata: *Johannes de ftaleni Scolasticus et confrater vester minimus. Leodij in vigilia natiuitatis chrifti*; altera: *Servitor vester in omnibus G. de Calker prepoftus*, quam *Colonia* datam colligo, quaeque finit: *recommendo etiam vobis M. Ottonem et Guillelmum confanguineos meos ac alios ftudentes de colonia quos ad ftudium wien. alias direxi.* Neutra integre per Codicis ligamen legi jam potest; comparent tamen in tergo pofterioris haec: *domino Magiftro Henrico de — Wyeñ. doctori.* Ad fol. 50. inferta eft Formula Profeflionis Canonorum Regular. et fol. 128. p. 2. Rudimenta Verficulorum, quibus pangendis delectabatur *Henricus*, comparent. Sunt vero lufus varii de quorundam Animalium indole ad mores ad commodati. Ita:

*Qui fugit ut cancer, fugiendo facit fapienter.*

*Cur? Quia confpectus ad mala femper habet.*

Similia de Leone, Serpente, Vulpe, Lupo &c. diverfimode reſcripta et correcta.

### CXXVI.

U. 127 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 276. f. non una manu, probe tamen ſcriptus, et rubro pernotatus hanc praefert Notam: *Collegio ducali ftudij Wienn. Magifter wolffgangus bewndl (Heindel) de ſwadarff (pago infer. Audenis Codd. Theol. V. II. P. I.*

ſtr.) *baccal. ſacre theologie formatus, atque collegij praefati collegiatus hunc librum eſt teſtatus.* Nihil de hoc Viro ſignatum reperio praeter geſtum a. 1472. Philoſophiae Decanatum. Sequitur: *Leſtore ſuper exodum et pauli apoſtoli ad colofenſes epiftolam pro curſibus per predictum magiſtrum leſte.* Incipit prior: *Leſturus nunc 2<sup>m</sup> penthateuci librum Exodum ſcilicet antequam litteram ipſam aggrediar quedam preuia quemadmodum*

dum circa aliorum librorum incia solitum est statui premittere &c.

II. fol. 154. p. 2. sequitur *Lectura* altera hoc initio: *Lecturus Epistolam summi doctoris gentium b. pauli ad Col. 1<sup>o</sup> aggrediar argumentum seu prologum &c.* Ad calcem Autoris nomen indicatur miniatis literis M. W. H.

III. fol. 181. habetur alia *Expositio Exodi* a C. VII. ad XX. quod v. 12. his verbis abrumpitur: *Coram cano capite consurge. Sed patres* —. Nescio, an ad eundem *Heindelium* referenda sit.

IV. fol. 217. finem faciunt *Dubia* seu *Quaestiones* circa *Exodi* Caput XX. et sequentia, quae plurimum *Legem* veterem et *Decalogi Praecepta* respiciunt, et ad priorum Autorem pertinere videntur; eas vero in *Dubio: Vtrum fuerint congruenter tradita precepta iudicialia*, imperfectas destituit Librarius.

## CXXVII.

R: 916 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 306. f. per duas columnas diligenter exaratus, coloribus distinctus et olim Collegii S. J. *Viennae* continet F. *Nicolai de Lyra* O. M. *Postillas* in sequentes S. *Scripturae Libros: Josue, Judicum, Ruth, Regum,*

*Paralipomenon; Esdrae I. Nebe-miae, Esther, Job et Psalmorum.* Integra omnia, ut deinceps saepius et seorsim et in *Bibliis glossatis* lucem videre. A fol. 69. p. 2. ad *Librum III. Regum* visuntur *Picturae* decem lineares non inconditae ad *Salomonis Templum* pertinentes. Ad Codicis calcem legitur: *Explicit postilla super librum psalmorum Edita a fratre. N. de lyra de ordine fratrum minorum sacre theologie doctore. Anno domini. M<sup>o</sup>.CCC.XXVI.* *Scriptura* Codicis certe *Seculi XIV.* ineuntis est. Vix tamen credibile, τὸ *Edita* significare, scriptum fuisse a. 1326. nisi illum dicamus ἀποργαφον esse e primis et quasi sub Autoris oculis paratum; omnes enim conveniunt, *Nicolaum Postillas* suas in univ. *Biblia* a. 1292. coeptas a. demum 1330. ad finem perduxisse. Igitur τὸ *Edita* ita fortassis accipiendum, ut partem *Postillarum* hoc Codice contentarum, vel faltem *Psalterium* a. 1326. absolverit. Interim tamen semper *Exemplum* nostrum e primis erit, et exaratum ante Autoris mortem, quam referente *Waddingo* *Lapis* ejus sepulcralis *Parisiis* ad a. 1340. defigit, licet in *Tabella marmorea* e regione *Sepulcri* collocata legatur:

*A cruce tu cujus (Christi) numeres si mille trecentos  
Adjungens unam quattuor et decades.*

Unam errorem typi putem; fecus enim haberemus annum 1450. *Fabricius* et *Hambergerus*

mederi cupientes reponunt *uni* intelligentes annum, ut sit 1441. Verum neque sic omnis ambiguitas tol-